

Sexta.

Septima.

plurimum exordium. Mortuos quosque ad sepulturam proficere oportere cum cantu, plurimae gentium uel regionum instituta sanxerunt: persuasione hac, quae post corpus animae ad originem dulcedinis musicae. id est ad coelum redire credatur. Nam ideo in hac uita omnis anima musicis sonis capitur (ut non solum quae sunt habitu cultiores, uerum uniuersae quaeque barbarae nationes, cantus, quibus uel ad ardorem uirtutis animentur, uel ad mollitiem uoluptatis resoluantur, exerceant) quia in corpore defert memoriam musicae, cuius in coelo fuit conscia. Et ita delinimentis canticis occupatur, ut nullum sit tam immitte, tam asperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Hinc existimo & Orphei uel Amphionis fabulam: quorum aliter animalia ratione carentia, aliter saxa quosque trahere cantibus ferebatur, sumpsisse principium: quia primi forte gentes, uel sine rationis cultu barbaras, uel saxi instar nullo affectu mobiles, ad sensum uoluptatis canendo traxerunt. Ita denique omnis habitus animae cantibus gubernatur, ut & ad bellum progressui, & inter receptui canatur cantu, & excitante, & rursus sedante uirtute. Dat somnos adimitque, necnon curas & immittit & retrahit. Ira suggerit, clementiam suadet, corporum quosque morbis medetur. Nam hinc est, quod aegris remedia praestantes praecinere dicuntur. Ecce quid mirum, si inter homines musicae tanta donatio est: cum aues quosque, ut lusciniae & cygni aliae uel id genus, cantum ueluti quadam disciplina artis exerceant: nonnullae uero uel aues uel terrenae seu aquatiles beluae, inuitate cantu, in retia sponte decurrant: & pastoralis fistula pastum progressis quietem imperet gregibus. Nec mirum. Inesse enim mundanae animae causas musicae, quibus est intexta, praediximus. Ipsa autem mundi anima uiuentibus omnibus uitam ministrat. Hinc hominum pecudumque genus uitaeque uolantum, Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus. Iure igitur musica capitur omne quod uiuit, quia coelestis anima, qua animatur uniuersitas, originem sumpsit ex musica. Haec dum ad sphaeralem motum mundi corpus impellit, sonum efficit: quod interuallis disiunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, sicut a principio ipsa contexta est.

De interuallis
corporum coelestium.
Alii Archimedes.

Sed haec interualla, quae in anima quippe incorporea, sola existimantur ratione, non sensu: quaerendum est, utrum etiam ipso in mundi corpore dimensio librata seruaerit. Et Archimedes quod stadium numerum deprehendisse se credidit, quibus a terrae superficie luna distaret, a luna Mercurius, a Mercurio Venus, sol a Venere, Mars a sole, a Marte Iupiter, Saturnus a Ioue. Sed et a Saturni orbe usque ad ipsum stelliferum coelum omne spatium se ratione emensum putauit. Quae tamen Archimedis dimensio a Platonice repudiata est, quasi dupla & tripla interualla non seruans. Et statuerunt hoc esse credendum, ut certum est a terra usque ad lunam, duplum sit a terra usque ad solem. Quantumque est a terra usque ad solem, triplum sit a terra usque ad Venerem. Quantumque est a terra usque ad Venerem, quater tamen sit a terra usque ad Mercurij stellam. Quantumque est ad Mercurium a terra, nouies tamen sit a terra usque ad Martem. Et quantum a terra usque ad Martem est, octies tantum sit a terra usque ad Iouem. Quantumque est a terra usque ad Iouem, septies & uicies sit tantum a terra usque ad Saturni orbem. Hanc Platonice persuasionem Porphyrius libris inseruit, quibus Timaei obscuritatibus non nihil lucis infudit: aitque eos credere, ad imaginem contextionis animae, haec esse in corpore mundi interualla: quae epitritis, hemiolis, & epogdois, hemitonisque complentur & limmate